



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. LV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

C A P . L I V .

HAc igitur spe erectus ego infelix homo, omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus, genibus humi positus, ad misericordiae tuae pedes advolvor, orans atque obsecrans, ut sis mihi adiutor, atque operi manuum tuarum porrigas dexteram. Absolve, Domine virtutum, absolve opus, quod inceperas, intermissum odio & malignitate eorum, quorum omnis opera in eo labefactando destruendoque consumitur. ne patiaris, aedificium, tibi excitatum paratumque, draconum, serpentium, leonum, atque omnis generis ferarum, usibus cedere. non permittas, tot ingentia tua beneficia, tot labores, tot anteaestae meae vitae fructus in irritum cadere. ne, quaeso, hanc illis voluptatem objicias, quibus nihil est antiquius, quam me in eandem cum ipsis ruinam attrahere. Audivi de quibusdam maximis peccatoribus, quod, tuo munere immutati, repente summorum Sanctorum merita exaequassent: adscribe me ad illorum numerum: vel, si non est mihi fas, tantum optare, saltem ex improba atque execrabili peccantium turba in postremum servorum tuorum numerum transfer; ut, tibi immutatus, Davidicum illud cantem: Nunc coepi; haec mutatio dexteram excelsi.

C A P . L V .

ID si tuo munere impetravero, ac duobus illis defensoribus, quos dixi, munitus ero, quamvis consistant adversum me castra, non timebit cor meum; quamvis exurgat adversum

C

me